



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor
Angelicvs cum Melliflvo,)**

Schweitzer, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.

Reverendissimo, Amplissimoque Domino, D. Aegidio Sipenio, Coloniensi,
SS. Theologiæ Licentiato, Celeberrimi Monasterii B. M. Virginis De Veteri
Monte, Sacri Ordinis Cisterciensis Abbati Dignissimo, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-39320

Reverendissimo, Amplissimoque Domino,

**D. AEGIDIO
SIPENIO,
COLONIENSI,**

**SS. THEOLOGIAE LICENTIATO,
CELEBERRIMI MONASTERII B. M. VIR-
GINIS DE VETERI MONTE, SACRI OR-
DINIS CISTERCIENSIS ABBATI
DIGNISSIMO,**

*Nec non per Inferiorem Tractum Rheni, Westpha-
liam, Saxoniam, partesque annexas Vicario ac Com-
missario Generali, Domino temporali in Rheill, &c.
Patrono omni studio & observantiâ
Colendissimo.*

Reverendissime Domine Praelate,

Perlecto hoc Opusculo, vel solo e-
jus titulo inspecto, facile intelli-
ges, sub cujus nomine & Patroci-
nio illud lucem videre optaverim. Do-
ctrinae Augustiniano-Thomistico-Ber-
nardi-

DEDICATORIA.

nardinæ amatorem desideravi, quæsi
 & Testatim inveni. Illam enim junior &
 in minoribus constitutus sedulò didici-
 sti, alios docuisti, privatim & publicè
 propugnasti cum applausu & tali profe-
 ctu, ut in Alma hac Vniversitate non so-
 lùm fueris proclamatus dignus Laureâ
 Doctorali Theologica, sed etiam in sa-
 cratissimo Ordine *Tuo* mitra Abbatiali;
 quando unanimi cõsensu Capitularium
 electus fuisti in Celeberrimi Monasterii
 de Veteri Monte Abbatem, & à Reve-
 rendissimo D. Abbate Generali non tan-
 tùm confirmatus, sed etiam majoribus
 honoribus cumulatus. Et in hoc Hono-
 ris & Dignitatis fastigio *Tibi* constituto
 inter varias curas, quas pro grege comisso
 sollicitè geris, facilè præcipua est, ut ju-
 niores Sanctorum in sequentibus Dissert-
 ationibus laudatorum Doctorum spiri-
 tu & lacte doctrinæ educantur. Testes
 sunt

DEDICATORIA.

Sunt illi, qui ex diversis Monasteriis Te jubente & promovente in florentissimo non ita pridem auctoritate Apostolicâ erecto Seminario Benedictino, sub directione Eximii & in Doctrina Augustino-Thomistica versatissimi Regentis P. M. Bedæ VVachendorff, Monasterii S. Pantaleonis operâ navant, & intra breve tempus tam feliciter progressi fuerunt, ut non solùm inter privatos seminarii parietes, verùm etiam in Schola publica honorificè sentētias Augustiniano-Thomisticas, in materiis etiam difficillimis, propugnauerint, secuti vestigia *Reverendissimæ Dignitatis Tuæ*, & aliorum ejusdem Ordinis, quorum aliqui in Generali hoc Studio Coloniensi versati & imbuti, in tales Viros evaserunt, ut non tantùm Sacræ Facultatis Theologicæ, sed etiam totius Academiae Regimen commissum iis fuerit, etiam ab initio fundati

DEDICATORIA.

auctoritate Apostolicâ Studii; cùm inter
 primos Eximios Magistros Sacram Fa-
 cultatem Regentes & secundus Decanus
 fuerit P. Reginaldus de Alua, Cisterci-
 ensis, anno 1395, ut testantur Facultatis
 annales, quem plures sequentibus annis,
 usque ad hæc tempora fuerunt secuti, &
 ad gradus ob scientiam & virtutes in
 Theologia promoti, inter quos ultimò
 laudatissimè præfuit Vniversitati Revo-
 rendissimus Dominus Prælatus Ioannes
 à Blanckenberg, Rector Magnificus e-
 lectus anno 1654, die secunda Decem-
 bris, & octies confirmatus, qui, ni fallor,
 Reverendissimâ Dignitatem Tuam ad sa-
 crum Ordinẽ assumpsit. Dignare igitur,
Reverendissime & Augustiniano-Thomistica
Doctrinæ Amantissime Præsul, hoc Opu-
 sculum à devotissimo *Tibi* Cliente hu-
 militer oblatum, humanissima manu,
 beneveloq; vultu acceptare, & magnam

DEDICATORIA:

in parvo contentam, Sanctorum doctrinam Tibi subjectis comendare. Audiant & sequantur vocem Patris sui Melliflui Bernardi in Epist. 77. ad Hugon. *Ab his duabus columnis, Augustinum loquor & Ambrosium, credite mihi, difficile a-vellor: cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor. Dicant & illi: Ab his tribus columnis difficile a-vellimur, cum his nos errare aut sapere fatemur.* Divina Clementia Reverendissimam Dignitatem Tuam sibi, Ecclesiæ & Ordini incolumem quàm diutissimè tueatur. Sic precatur & vovet Colonia in Conventu S. P. Augustini, anno 1682. die 1. Martii.

Reverendissime Dignitatis Tue

Humillimus Servus

F. JOANNES SCHWEITZER,
Eremita Augustinianus.

)(4

Appro-